



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

2 De pertinentibus ad naturam creatam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

primo intendit in opere. Agens autē quilibet principaliter intendit in opere id quod perfectius est: natura autem speciei est perfectissimum in vnoquoque individuo, per ipsam enim duplex imperfectio perficitur, imperfectio scilicet materia quae est singularitatis principium, quae cum sit in potentia ad formam speciei, perficitur quando naturā speciei consequitur: & iterum imperfectio formae generalis, quae se habet ad differentias específicas in potentia, ut materia ad formam, unde species specialissima est primo in intentione naturae, ut patet per Avic. in prin. suae met. Non enim natura intendit principaliter generare Sortem, alias destructo Sorte ordo & intentio naturae periret: intendit autem in Sorte generare hominem. Similiter non intendit principaliter generare animal, alioquin quiesceret eius actio, quando ad naturam animalis perduxisset, cum tamen in individuo generato prius compleatur natura animalis quam hominis, ut patet in 16. de animalibus: non autem prius est homo quam hic homo. Unde exemplar quod est in mente divina primo naturam speciei respicit in qualibet creatura.

Ad primum ergo dicendum, quod id quod est primum in intentione, est ultimum in executione. Unde quamvis natura primo intendat generare hominem, per prius tamen generatur hic homo. Non enim homo generatur nisi per hoc quod hic homo generatur: & propter hoc etiam in definitione id est de se, secundum eas oritur omne quod oritur quantum ad viam executionis, in qua singularia sunt primum.

Secundum quod in contrarium obicitur, conceditur.

QV AESTIO II.

DEINDE quaeritur de his quae pertinent ad naturam creatam.

¶ Et primo, De his quae pertinent ad animam humanam.

¶ Secundo, De his quae pertinent ad corpus.

¶ Circa primum quaeruntur duo.

¶ Primo, Vtrum anima accipiat species quibus cognoscit, a rebus quae sunt extra eam.

¶ Secundo, Quomodo charitas, vel quilibet alius habitus a non habente cognoscatur.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima accipiat species a rebus quae sunt extra eam.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur quod anima non accipiat species a rebus quae sunt extra eam. Dicit enim Aug. 12. super Gen. Imaginem corporis non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili: non autem eam in seipso faceret si a rebus exterioribus eam acciperet, ergo anima non accipit a rebus species quibus cognoscit. ¶ 2. Prae. Eius solius est dimensionem a re dimensionata abstrahere, cuius est dimensionem corporibus dare, quod est soli creatoris: sed ad hoc quod species a rebus accipiat in anima, oportet quod ab ipsa specie dimensionem separentur, quia in rebus extra animam habent esse dimensionale, non autem in anima, maxime quantum ad intellectum, ergo anima non potest accipere species a rebus sensibilibus. In contrarium vero esse tota philosophorum do-

ctrina, quae sensum a sensibilibus imaginationē a sensu, intellectum a phantasmatibus accipere fatetur.

RESPON. Dicendum, quod anima humana similitudines rerum quibus cognoscit, accipit a rebus illo modo accipiendi quo patiens accipit ab agente, quod non est intelligendum quasi agens insitiat in patiens eandem numero speciem quam habet in seipso, sed generat sui similem educendo de potentia in actum, & per hunc modum dicitur species coloris deferri a corpore colorato ad visum: sed in agentibus & patientibus distinguendum est. Est enim quoddam agens, quod de se sufficiens est ad inducendum formam suam in patiens, sicut ignis de se sufficit ad calefaciendum. Quoddam vero agens est, quod non sufficit de se ad inducendum formam suam in patiens, nisi superueniat aliud agens, sicut calor ignis non sufficit ad completendam actionem nutritionis, nisi per virtutem animae nutritivae, ubi virtus animae nutritivae est principaliter agens, calor vero igneus instrumentaliter. Similiter etiam est diversitas ex parte patientium. Quoddam enim est patiens, quod in nullo cooperatur agenti, sicut lapis cum sursum proicitur, vel lignum cum ex eo fit scānum. Quoddam vero patiens est, quod cooperatur agenti, sicut lapis cum deorsum proicitur, & corpus hominis cum sanatur per artem, & secundum hoc res quae sunt extra animam, tripliciter se habent ad diversas animae potētiās: ad sensus enim exteriores se habent sicut agentia sufficientia, quibus patientia non cooperantur, sed recipiunt tantum. Quod autem color per se non possit movere visum nisi lux superueniat, non est contra hoc quod dictum est, quia tam color quam lux inter ea quae sunt extra animam, computantur. Sensus autem exteriores suscipiunt tantum a rebus per modum patiendi, sine hoc quod aliquid cooperentur ad sui formationem, quamvis iam formati habeant propriam operationem, quae est iudicium de propriis obiectis, sed ad imaginationem res quae sunt extra animam comparantur ut agentia sufficientia. Actio enim rei sensibilis non sicut in sensu, sed ulterius pertingit usque ad phantasiam, sive imaginationē, tamen imaginatio est patiens quod cooperatur agenti. Ipsa enim imaginatio format sibi aliquarum rerum similitudines, quas nunquam sensu percipit: ex his tamen quae sensu recipiuntur componendo ea & diuidendo, sicut imaginamur montes aureos, quos nunquam vidimus ex hoc quod vidimus aurum & montes, sed ad intellectum possibilem comparantur res sicut agentia insufficientia. Actio enim ipsarum rerum sensibilium nec etiam in imaginatione sistit, sed phantasmatibus ulterius mouent intellectum possibilem, non autem ad hoc quod ex seipsis sufficienter, cum sint in potentia intelligibilia, intellectus autem non mouetur nisi ab intelligibili in actu. Unde oportet quod superueniat actio intellectus agentis, cuius illustratione phantasmatibus sunt intelligibilia in actu, sicut illustratione lucis corporalis sunt colores visibiles actu: & sic patet quod intellectus agens est principale agens, quod agit rerum similitudines in intellectu possibili. Phantasmatibus autem quae a rebus exterioribus accipiuntur, sunt quasi agentia instrumentalia: intellectus enim possibilis comparatur ad res quarum notitiā recipit, sicut patiens quod cooperatur agenti. Multo magis potest intellectus formare quidditatem rei quae non cecidit sub sensu, quam imaginatio.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod si verbum Augustini referatur ad intellectum, sic planum est quod

res

res

res

res

12. q. 82. a. 3. & 4. o. ne. q. 10. ar. 9. i. di. 3. q. 2. ar. 6. c. 10. ad 2.

ar. 6. c. & 2. 102. ad 3.

D. 194.

res nō faciunt sui similitudinem in intellectu pos-  
sibili principaliter, sed intellectus agens. Si autem  
referatur ad imaginationem, faciunt quidem, sed  
non solum, quia ipsa imaginatio cooperatur, ut di-  
ctum est. In sensu autem facit corpus sui similitu-  
dinem sufficienter & solum: sed de hoc nō loquitur  
Augustinus, quia sensum contra spiritum diui-  
dit, siue corporalem uisionem contra spiritualem.

AD SECVNDVM Dicendum, q̄ ratio illa proce-  
dit ac si illa eadem species numero quæ est in reb.  
uel in imaginatione postmodum fieret in intelle-  
ctu, sic enim oportet quod auferrentur ab ea dime-  
siones, & hoc patet esse falsum.

ARTICVLVS IIII.

*Utrum habens charitatem eam cognoscat per speciem.*

i. d. 17. q. 1. a.  
4. o. & 3. dif.  
23. q. 1. p. 2.  
o. & ad 1.

CIRCA secundum sic proceditur. Videtur q̄  
non habens charitatem eam cognoscat p̄ spe-  
ciem. Omne enim quod cognoscitur, cognoscitur  
uel per essentiam, uel per sui similitudinem: sed cha-  
ritas a non habente non cognoscitur per sui essen-  
tiam, quia non est essentialiter in eo. ergo si cogno-  
scitur a non habente, cognoscitur per sui similitu-  
dinem.

¶ 2 Præ. Aliquis habens charitatem aliquo modo  
cognoscit eam se habere, ad minus per cōiecturas,  
uel per reuelationem, & similiter postquam eā ami-  
serit, pōt recordari se eam habuisse, quod esse non  
potest nisi per eius speciem in memoria seruata.  
ergo charitas a non habente, qui prius eam habuit  
per sui similitudinem cognoscitur, & eadem rati-  
one a quolibet alio non habente.

¶ 3 Præ. Dicit Aug. 10. confessionum. Hoc modo  
se hēt memoria ad intelligentiam, sicut uenter ani-  
malis ruminantis ad os, quia sicut id quod est in uē-  
tre animalis ruminantis reducitur ad os, ita quod  
est in memoria reducitur ad intelligentiam. Si ergo  
in memoria cōseruatur charitas p̄ sui similitudinē,  
& ab intelligentia capicitur per sui similitudinem.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit 2. super Gene-  
sim, & habetur in glo. 2. ad Corin. 12. Quod intelle-  
ctualis uisio est earum rerum quæ non habent spēs  
sibi similes, quæ non sunt quod ipsæ, & inter hu-  
iufmodi ponit charitatem. ergo charitas non po-  
test cognosci per sui similitudinem, sed solum per  
essentiam.

RESPON. Dicendum, quod duplex est cognitio  
charitatis. Vna, qua cognoscitur qd est charitas. Alia,  
qua charitas percipitur, ut eū aliquis cognoscit se ha-  
bere charitatē, quod p̄tinet ad cognitionē, an est.  
Prima quidem cognitio charitatis eodem mō cō-  
petit habenti, & non habenti charitatem. Nā intel-  
lectus humanus natus est rerum quidditatē com-  
prehendere, in quibus cognoscendis naturaliter præ-  
cedit, sicut in cognoscendis conclusionibus complexis.  
Insunt enim nobis naturaliter quædam princi-  
pia prima complexa ab oībus nota, ex quibus rō pro-  
cedit ad cognoscendum in actu conclusiones, q̄ in  
prædictis principiis potentialiter continentur siue p̄  
inventionem propriam, siue p̄ doctrinam alienā,  
siue per reuelationem diuinam, in quibus omnib.  
modis cognoscendis homo iuuatur ex principiis  
naturaliter cognitis. Vel ita quod ipsa principia co-  
gnita ad cognitionem acquirendam sufficiant ad-  
miniculantibus sensu & imaginatione, sicut cum  
aliquam cognitionem acquirimus per inuentio-  
nem, uel doctrinā. Vel ita quod principia prædicta

ad cognitionem acquirendam non sufficiant: ni-  
hilominus tamē in huiusmodi cognoscendis prin-  
cipia dirigunt, in quantum inueniuntur non repu-  
gnare principiis naturaliter cognitis: quod si esset,  
intellectus nullo modo eis assentiret, sicut non po-  
test dissentire principiis. Et similiter in intellectu  
insunt nobis etiam naturaliter quædam cōceptiones  
ab omnibus nota, ut entis, unius, boni, & hu-  
iufmodi, a quibus eodem modo procedit intellectus  
ad cognoscendum quidditatem uniuscuiusq; rei,  
per quem procedit a principiis per se nota ad co-  
gnoscendas conclusiones, & hoc vel per ea quæ ex  
sensu percipiuntur, sicut cum per sensibiles proprie-  
tates alicuius rei concipio illius rei quidditatem: uel

per ea quæ ab alijs quis audit, ut cum laicus quine-  
scit quid sit musica, cum audit aliquam artem esse  
per quam discit canere, uel psallere, concipit quid-  
ditatem musicæ, cum ipse præsciat quid sit ars, &  
quid sit canere, aut etiā per ea quæ ex reuelatione  
habentur, ut est in his quæ fidei sunt. Cum n. credi-  
mus aliquid esse in nobis diuinitus datum, quo af-  
fectus noster Deo unitur, concipimus charitatis  
quidditatem, intelligentes charitatem esse donum  
Dei, quo affectus Deo unitur, præcognoscentes ta-  
men quid sit donū, & quid affectus, & quid unio.  
De quibus etiam quid sint, scire non possumus, ni-  
si resoluendo in aliqua prius nota, & sic quousque  
perueniamus usque ad primas conceptiones hu-  
mani intellectus, quæ sunt omnibus naturaliter no-

ta. Et quia naturalis cognitio est quædam similitu-  
do diuinæ veritatis menti nostræ impressa, secun-  
dum illud ps. 4. Signatum est super nos lumē vul-  
tus tui Domine: ideo dicit Aug. 10. de Trin. q̄ hu-  
iufmodi habitus cognoscuntur in prima ueritate.

Ipsa autem conceptio charitatis, quam intellectus  
format modo prædicto, non est solum similitudo  
charitatis sicut species rerum in sensu, uel imagina-  
tione, quia sensus & imaginatio nunquam p̄tun-  
gunt ad cognoscendum naturam rei, sed solum  
modo accidentia quæ circumstant rem, & ita spēs  
quæ sunt in sensu, uel imaginatione non repræ-  
tant naturam rei, sed accidentia eius tantum, sicut  
status repræsentat hominem quantum ad acci-  
dentialia, sed intellectus cognoscit ipsam naturam &  
substantiam rei. Vnde species intelligibilis est simi-  
litudo ipsius essentiæ rei, & est quodammodo ip-  
sa quidditas & natura rei secundum esse intelli-  
gibile non secundum esse naturale, prout est in reb.

& ideo omnia quæ non cadunt sub sensu & ima-  
ginatione, sed sub solo intellectu, cognoscuntur p̄  
hoc quod essentia, uel quidditates eorum sunt illi  
quo modo in intellectu. Et hic est modus quo cha-  
ritas cognoscitur cognitione quidem tam ab hā-  
te charitatem, quam a non habente: sed secundum  
aliū modum cognoscendi charitatem neq; cha-  
ritas, neque aliquis habitus, siue potentia percipi-  
a nostro intellectu, nisi per hoc quod actus perci-  
piuntur, ut patet per phil. 10. Eth. Actus autē chari-  
tatis, uel alterius habitus eliciuntur ab ipsa charita-  
te, uel ab alio habitu per propriam essentiam cha-  
ritatis, uel alterius habitus: & per hunc modum est  
aliquis se cognoscere habere charitatem, uel aliū  
habitum per ipsam essentiam habitus sicut esse na-  
turale quod hēt in rerum natura, & non solum in  
intellectu. Sicut autē nullus potest cognoscere cha-  
ritatem, nisi charitatem habens, quia actus cha-  
ritatis & aliarū uirtutum seipue consistunt in mo-  
tib; interioribus, qui non p̄t esse cogniti nisi ope-  
ranti, nisi quatenus manifestantur ex actib; exteriori-  
bus,

bus, & sic per quandam coniecturam aliquis non habens charitatem potest percipere aliam charitatem habere. Hoc autem dico supponendo, quod aliquis possit scire se habere charitatem, quod tamen non puto esse verum, quia in actibus ipsius charitatis non possumus sufficienter percipere quod sinta charitate elicit propter similitudinem dilectionis naturalis cum dilectione gratuita.

Ad PRIMVM ergo dicendum, quod in non habente charitatem non secundum esse naturae, sed secundum esse intelligibile, est essentia charitatis.

Ad II. dicendum, quod postquam aliquis desinit habere charitatem secundum esse naturale charitatis, adhuc charitas in ipso manet secundum esse intelligibile, & sic potest scire quid sit charitas. Manent etiam in memoria eius actus charitatis, quos facit etiam in memoria sensibili propter actus sensibiles charitatis, qui uique manent secundum sui similitudinem sicut & cetera sensibilia, & ex his aliquis memoratur se habuisse charitatem.

Ad III. dicendum, quod illud quod est in memoria redit ad intelligentiam, non ita quod eadem specie numero quae est in memoria, postmodum fiat in intellectu, sed per illum modum loquendi, quo phantasmata dicuntur fieri in intellectu, ut dictum est.

QV AESTIO III.

ARTICVLVS V.

Verum alimentum conuertatur in ueritatem humanam naturae.

**D**E I N D E quaritur de his quae pertinent ad corpus humanum, utrum alimentum conuertatur in ueritatem humanam naturae, & uidet quod non, quia in corpore humano id quod est de ueritate humanae naturae est caro, uel os secundum speciem: sed alimentum non conuertitur in id quod est secundum speciem, sed in id quod est in materia, ut ut dicere phil. in 1. de generatione. ergo alimentum non conuertitur in ueritatem humanam naturae.

¶ 2 Praet. Id quod est de ueritate humanae naturae, oportet quod semper in homine maneat, alias non remaneret homo idem numero: sed illud quod generatur ex alimento, non semper manet, immo fluit & refluit, ut patet ex 1. de generatione. ergo quod generatur ex alimento, non est de ueritate humanae naturae.

¶ 2 Praet. Aug. dicit, quod nos fuimus in Adam dupliciter, secundum seminales rationem, & secundum corpulentam substantiam: Christus autem fuit in eo secundum corpulentam substantiam, & non secundum seminales rationem: id autem quod ex alimento generatur in nobis, non fuit in Adam, ergo illud quod est de ueritate corpulentae substantiae nostrae non est ex alimento generatum.

Sed dicebat quod corpulenta nostra substantia fuit in Adam originaliter, & non essentialiter. Sed contra. Semen originem rei importat. Si ergo dicitur in Adam fuisse secundum corpulentam substantiam originaliter tantum, tunc idem erit esse secundum corpulentam substantiam, & secundum seminales rationem, quod est falsum, ergo idem quod prius.

Sed contra est, quod dicitur in 2. de anima. Alimētum est potentia tale, quale est illud quod nutritur: sed quod est potentia aliquale, in illud conuertitur

potest, ergo alimentum conuertitur potest in illud quod nutritur: sed illud quod nutritur, est id quod est de ueritate humanae naturae, ergo alimentum conuertitur in id quod est de ueritate humanae naturae.

¶ 2 Praet. Semen ex quo fit generatio, maxime uideatur ad ueritatem humanae naturae pertinere: sed semen secundum philosophum in 15. de animalibus, est de superfluo alimenti, ergo alimentum conuertitur in ueritatem humanae naturae.

RESPON. Dicendum, quod ad huius questionis euidentiam oportet primo uidere quid sit ueritas humanae naturae. Veritas autem uniuersumque rei, ut dicit Auicenna in sua meta. nihil est aliud quam proprietas sui esse, quod stabilitum est ei, sicut illud quod proprie habet esse auri attingens ad terminos stabilitos naturae auri, dicitur esse uere aurum. Vnum quodque autem proprie habet esse in aliqua natura, per hoc quod substat completae formae propriae illius naturae, a qua est esse, & ratio speciei in natura illa. Vnde illud pertinet ad ueritatem uniuersumque rei, quod est completum illius rei per formam, & pertinet directe & per se ad completionem illius rei: tam enim in naturalibus quam in artificialibus inueniuntur quaedam, in quibus consistit principaliter ratio rei: alia autem quae sunt ordinata ad horum conseruationem & meliorationem, sicut stipites & fructus, per se pertinent ad complementum arboris, unde sunt de ueritate naturae ipsius. Folia autem sunt quodammodo ordinata ad fructuum conseruationem, & quantum ad hoc non uidentur esse de ueritate naturae arboris principaliter. Similiter ratio gladij consistit in ferro & acumine eius, vagina autem est ad gladij conseruationem: unde si gladius esset res naturalis, ferrum esset de ueritate naturae eius, non autem vagina. Sic autem de ueritate humanae naturae esse dicimus illud, quod per se pertinet ad perfectionem humanae naturae, complete participans formam speciei: illud autem non est de ueritate humanae naturae in homine, quod est ordinatum quodammodo ad hominis conseruationem, uel meliorationem quamcumque. Sciendum est ergo, quod natura humana potest dupliciter considerari, uel secundum totam speciem humanam, uel secundum esse quod habet in hoc indiuiduo, & secundum hoc inueniuntur in praesenti quaestione tres opiniones. Quidam enim dicunt, quod alimentum non conuertitur in ueritatem humanae naturae neque secundum speciem, neque secundum indiuiduum. Dicunt enim quod tota materia quae nata est esse sub specie humanae naturae, fuit in corpore Adae, nec aliqua alia materia potest fieri uere subsistans humanae speciei, & ex illa materia ex qua corpus primi hominis constabat, fuerit aliqua pars de cetera, quae quidem per multiplicationem quandam sine additione exterioris materiae augmentata est iurantem, quod peruenit usque ad perfectam & completam quantitatem in corpore Seth. Ex quo iterum aliquid decisum est in formationem corporis filij sui, & praedicto modo multiplicatum, & sic totum humanum genus multiplicatum est ex illa materia, quae fuit in corpore primi hominis sine alicuius extrinseci additione. Illud autem quod ex alimento generatur, est necessarium nobis ad conseruationem illius humiditatis, quae est de ueritate humanae naturae, ut scilicet calor naturalis habens aliquid aliud quod consumat scilicet humiditatem ex alimento generatam quasi accidentalem, non consumat humiditatem quae est de ueritate humanae naturae, sicut aurifices apponunt plumbum & argentum non

id. 44. q. 1. s. 2. q. 4. o. & 2. di. 30. q. 1. ar. 2. q.

Tex. com. 35

Tex. com. 45